



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Mechlinia Illustrata Luce Miraculorum S. Francisci Xaverii  
Orbis Utriusque Solis Ac Thaumaturgi Chronicis Distichis  
evulgata Anno M.D.C.LXVI.**

**Grumsel, Gérard**

**Mechliniae, 1666**

Approbationes Beneficiorum

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13399**

ram Deo maturè consideratis, decernendum post longam, & sèpius iteratam inquisitionem putavimus, prout per præsentes decernimus, posse dittæ Catharinæ sanationem tamquam miraculosam, & per merita Sancti FRANCISCI XAVERII à Deo factam, & impetratam censeri, & publicari; & ut talem publicamus & censere nos testamur: Autorem omnium Deum rogantes, ut sicut Indianorum gentes Sancti FRANCISCI XAVERII dum vixit, prædicione, & Miraculis Ecclesiæ suæ aggregare voluit, ita modo hinc in partibus ejusdem Miraculis, & intercessione fideles popules velit in eadem conservare, & confirmare; eosque, qui quovis errore ab ead segregati sunt, ad eamdem benignè reducere. In horum omnium fidem basce manu propriâ signavi, & Vicariatū nostri sigillo muniri curavi. Die XIX. Mensis Martii, Anno Domini 1664.

Locus \* Sigilli.

J. HOEBRAKEN

## APPROBATIONES BENEFICIORUM

§. 1.

ANDREAS Dei, & Apostolicæ sedis gratiâ Archiepiscopus Mechlinien: Omnibus has visuris salutem in Domino. Cum in dies clarescant plura, ac plura Beneficia quæ divina manus largè conferre dignoscitur ad sacras Reliquias de Brachio dextero magni Indianorum Apostoli S. FRANCISCI XAVERII in templo Societatis JESU Mechlinie fidelium venerationi, nobis approban- tibus expositas, de iisque per Revend. Admodum Dominos Commissarios ad hoc deputatos legitime sint captae informationes: Nos per eos debite informati (quamquam non dubitarent quin complura Miraculis à nobis merito adscribi posse viderentur) maturiori adhuc examini illa cum aliis reservan- tes neque certi quidquam in præsentiarum decernentes, vulgari typis omnia dumtaxat permittimus, in fide bonâ eorum, quis è S. FRANCISCO XAVERIO accepisse apud supradictos Reverendos Admodum Dominos Commissarios legitimè deposuere, ut videant omnes non esse abbreviatam manum Domini, quin salvare possit, etiam in particula Brachii Servi sui: adeoque incitentur ad divinam ejus misericordiam per Sancti sui intercessionem ferventiù implorandam, & felicius consequendam. Datum Mechlinie die decimâ sextâ Mensis Februarii, Anno Domini 1662.

Locus \* Sigilli.

ANDRÉAS Archiepiscopus Méchliniensis

**I** Dem Illust: Dominus alias Approbationes de his beneficiis similis forme dedit. **xxiiii.**  
Novembris M. DC. LX. & xi. Februarii M. DC. LXI. Et hanc extendit ad no-  
va Beneficia xx. Septemb. M. DC. LXII. ii. Octob. M. DC. LXIII. xxviii.  
Novembris M. DC. LXV. Die vesp. xxii. Off. M. DC. LXVI. eamdem extensio-  
nem fuit ad felicem partum Marie Annee Senevens. Fuit & tum instantaneam sanationem  
Gasparis Scheerlinck Novitiis Societatis JESU Mechlinia ut Miraculum nov. 2 formu-  
lis approbatus, si instrumenta, quæ à RR. Adm. DD. Commissariis Mechlinia legitime  
confecta esse intellexerat, Bruxellis fuissent ad manum. Superveniens inexpectata He-  
miplexia, & subsecuta mors utriusque subscriptionem, quæ sola deest, impedivit.

S. 2.

**F. AMBROSIUS Capello Dei & Apostolicæ Sedis Gratia Episcopus**  
*Antverpiensis Omnibus has vijuri salutem in Domino.*

**C**um intellexerimus in subjecto nobis oppido Lirano, alijs-  
que varia beneficia obtineri implorata ope S. FRANCISCI  
XAVERII Indiarum, ac Japoniarum Apostoli, cuius sacræ Re-  
liquiæ de Brachio dextro in templo Societatis JESU Mechlinia  
magno concursu, ac fructu à confluente undique fideli populo  
coluntur: commissimus R. R. Adm. D. D. Gaffari Smits Oppidi  
Lirani Plebano, & Christianitatis Decano, ac Sac. Theologiæ  
Licentiato, & Edmundo Bedingfeld Canonicō Ecclesiæ Colle-  
giatæ S. Gommaris Liræ, ut inquirent nominatim in bene-  
ficia, ac gratias, quas per intercessionem ejusdem S. FRANCISCI  
XAVERII obtinuisse se profitentur Anna Tomas filia Lirana  
annorum circiter 33. & Catharina van Hoef Uxor Petri vander  
Elst Civis Lirani. Qui commisso à nobis munere ritè fungentes  
exactâ primum jurisurandi religione, legitima de iis confecere  
instrumenta, quæ ad nos transmisere, quibus ipsi etiam subscrip-  
sere. Et quia judicamus piè, ac prudenter credi posse non sine  
singulari patrocinio ejusdem Sancti illa Beneficia esse ab iis ob-  
tentia, nihil ulterius modò decernentes, permitimus ut ea, pro  
ut in illis instrumentis narrantur, typis vulgari possint, in bonâ  
sic deponentium fide, ut eorum notitiâ excitati fideles subjecti,  
aliisque in tribulationibus suis auxilium opportunum querere, &  
invenire valeant ab eo, quem approbatis ab Illust. ac Rev. Mech-  
liniensium Archiepiscopo Miraculis, aliisque Beneficiis illo in  
loco mirificare videtur velle Deus, qui etiam hodie in particulâ  
Brachii Sancti sui innovat signa, & immutat mirabilia, glorificat  
manū & brachium dexterum suū. *Datum Antverpiæ 29. Aug. 1662.*

*Locus\* Sigilli.*

**F. AMBROSIUS Episcop: Antverp:**

JOANNES ERNESTUS Baro de Surlet Eccl. Cathedralis Leod.  
Canonicus, & Collegiatæ oppidi Visetensis Abbas sacerdotalis, nec  
non Ser. <sup>mi</sup> Episcopi & Principis Leodiensis Vicarius Genera-  
lis &c. Omnibus, & singulis has visuris salutem in Domino.

**Q**uemadmodum non unum locum percurrit S. FRANCISCUS XAVERIUS Japoniae, atque Indianarum è Societate IESU glorijs Apolitus, ut Dei nomen portaret coram exteris gentibus, & Regibus, ita non uno in loco nomen ejus prodigiosi beneficis, & miraculis hæc tempestate claram reddere videtur Deus: Mechlinie presertim ad Sacras ejus Reliquias miraculis ab illius. & Rev. Domino Archiepiscopo Mechliniensi approbatis insignes, pluribusque aliis Beneficiis ab eodem, & aliis Ecclesiæ Pneustibus rite jussi examinari, & typis vulgari. Hæc Miraculorum, ac Beatisctorum fama Diœcensem Leodiensem penetravit, in quæ complures gratis agnoscunt se peregrinationibus, aut votis ad prædictas Reliquias directis, solarium in morbis, aut tribulationibus suis invenisse, præsertim in Districtu Archidiaconatus Condroyensis. Quare commissimus Vetus D. Matthiae de Amezaga Canonicus regulari in Cloisterade, Præposito, & Pastori Limburgensi, ut au-  
thoritate nostrâ examinaret, quæ per Sancti sui invocationem beneficè illuc operari dignaretur Deus, nosque debitè informaret. Hisce itaque testatum facimus accepisse nos à prædicto domino instrumentum ritè formatum, quo palam sit, quod Maria Anna Garaff filiola trime-  
stris, cum toto capite, collo, atque adeo toto corpore plena esset tumoribus, glandulis & aposte-  
matibus, & præsertim duo majora haberet sub axillis dura; ounque depositâ curationis sive  
omni manum subtraxisset Chirurgus, ad invocationem S. FRANCISCI XAVERII,  
cultumque Imaginis ejus, ac usum olei ex lampade Mechliniæ ante sacras ejus Reliquias  
ardente allati, intra paucos dies sit sanata: id quod præter parentes, & aviam ipsæ Chirur-  
gus juratus est testatus, agnoscens hæc in re divinam virtutem, prout agnoveré etiam duo  
alii experti Chirurgi de super consulti. Quæ nos considerantes, & honorare volentes, &  
desiderantes ab omnibus honorari, quem Deus tot signis, & prodigijs ad prædictas Reliquias  
in templo Societatis IESU Mechliniæ expoñtas, ostendit se velle honorare: Declaramus vi-  
deri nobis, p[ro]id, ac prudenter persanationem istam attribui intercessioni S. FRANCISCI  
XAVERII: atque ita permittimus, ut ejus enarratio typis vulgari possit in bona sic depo-  
nentium, atque attestantium fide: Gratias agentes Deo quod eriam ad hanc Diœcensem no-  
stram, virtutem Brachii sancti sui patiatur extendi, & dilaudantes solerter eorum pietatem,  
qui in afflictione constituti vota ad prædictum Sanctum prædictasque ejus Reliquias di-  
rigunt: in quorum fidem hæc manu, & Sigillo nostris munitas expediri jussimus. Datum  
Leodii in ædibus nostris claustralibus Anno M. DC. LXIV. Mensis Septem-  
bris diē decimâ tertia.

*Locus \* Sigilli.* JOANNES ERNESTUS DE SURLET.  
Canonicus & Vicarius General. Leodiensis.

R 3

JUDO-

Judocus Houbraken Ecclesiae Cath. Antverpiensis Canonicus, & Episcopatus Sylvæducensis vacantis Vicarius Generalis, omnibus has yisuris salutē in Domino.

Cum muneris nobis impositi obligatio exigat singularem à nobis haberi rationem eorum, quæ ad Orthodoxæ fidei confirmationem, præsertim in locis Heterodoxorum Domini subiectis, per Sanctorum suorum invocationem & intercessionem patrare dignatur Deus; palam facimus, quod, postquam se in ea latè extendit non tantum fama Miraculorum juxta approbationem Illust. & Rev. Domini Archi-Episcopi Mechliniensis patratorum ad Reliquias S. Patris FRANCISCI XAVERII *Mechlinæ* in templo Societatis JESU publicæ venerationi expositas: sed etiam, ut ad nos fuit relatum, virtus ipsa dictarum Reliquiarum operante Deo multis salutarium, nominatim inquire curaverimus in sanitatem, quam voto ad præfatas Reliquias directo *Sylvæducis* obtinuit *Maria N.* uxor civis Sylvæducensis ab ægritudine, quæ per seculiannum juxta judicium Medicorum incurabili, & in perfectam paralysim degeneraturâ laboraverat, subito vindicata: Commissarios ad id constituimus Ecclesiasticos viros spectatae virtutis, & doctrinæ, minimèque suspectos, qui exacto prius jure acceptas legitimè informationes legitimis tabulis, à se quoque subscriptis, ad nos transmiserunt cum expressione nominum, & mulieris sanatæ, & Doctorum, ac Chirurgi deponentium, quæ hic iustis de causis subticemus. Et cum in præsentiarum nec necessitas, nec commoditas sit omnia secundum S. Concilii Tridentini placita ulterius discutiendi, nihil aliud modo decernentes, declaramus piè, & prudenter dictum sanitatis Beneficium à præfata Maria obtentum S. FRANCISCI XAVERII apud Deum intercessioni posse adscribi: & ut tale vulgari in jurata deponentium fide, simulque hortamur universos, Catholicos quidem ut fiduciam suam in Deo, ejusque Sanctis, & nominatim S. FRANCISCI XAVERII viri plane Apostolici patrocinio collocare utiliter pergent; alios verò, ne clavæ veritatis soli oculos claudant, sed cognos-

cognoscant & ipsi hodie magnalia Dei, quæ facit in medio eorum ad invocationem S. Servi sui. In quorum fidēi præsentes dedimus Antverpiæ sub manus propriæ signaturā, & vicariatū nostri Sigillo die xxx. Octobris, Anno M. DC. LXII.

*Locus + Sigilli.*

J. HOUBRAKEN

---

§. 5.

**A**mplissimus ac Reverendus Adm. Dominus D.Oliverius D'Esse Vicarius Generalis Episcopatus Midensis & Luñensis vacantis in Hibernia, postquam diligenter inquisivisset in modum, quo saturatus est Dublini Guilielmus Baron ab incurabili ulcere ad cultum S.FRANCISCI XAVERII usumque olei Xaverianæ lampadis Mechliniae ad miraculosas Reliquias ardentes, eumque super eo per se ipse, aliosque qui diu noctuque aero adfuerant, examinasset explorataque haberet Doctorū Medicorum de eo sensa, judicavit dicitur ut judicare se literis conscriptis testificatus est, illum post Deum ac B.Virginem S.FRANCISCI XAVERII intercessione esse adscriendum dicitur ut talem vulgandum, prout patet ex authenticis ejus tabulis confessis Dublini 12. Junii 1665.

Idem censuit de liberatione Pauli Aylward ab Asthmate, & uxoris ejus à profluvio sanguinis, ac Catharinæ Gall ab acuta Paralysi Watersfordiae impetratā, ut constat ex literis Dublino datis 25. Januarii 1666.

§. 6.

**D**E Ferdinandando Müller ad usum cultumque Imaginis X AVERIA NÆ, quæ Mechliniæ miraculæ Reliquis fuerat applicata, sanato Warburgi in Diœcesi Paderbornensi Anno 1666. cùm relatione rei gestæ à parentibus subscriptâ, legitima testimonia miserunt Rev. Admodum D. Ioannes Meyer Pastor dicti Oppidi, & Rev. Adm. P. F. Bernardus Bierman Prior Conventus RR. PP. Ordinis S. Dominici. Ibidem ulterius res examinatur.

Plurima adhuc alia beneficia à variis accepta referuntur Sancto FRANCISCO XAVERIO, cultuque miraculosarum ejus Reliquarum Mechliniæ, de quibus, quia legitimâ auctoritate nondum sunt approbata, in hisce Chronicis non fit mentio. In non pauca etiamnum inquiritur in variis Episcopatibus.

## MIRABILIS DEVIS IN SANCTIS SVIS. p. 67.

### Facultas R. P. Provincialis Societatis JESU Provinciæ Flandro-Belgicæ.

**E**go infra scriptus Societatis JESU Prepositus Provincialis in Provincia Flandro-Belgica, potestate ad hoc mihi facta ab admodum R. P. Nostro JOANNE PAULO OLIVA Preposito Generali ejusdem Societatis, concedo Giberto Lintio Typographo jurato Mechliniensi Facultatem typis mandandi librum, cui Titulus Mechlinia Illustrata Miraculis S. FRANCISCI XAVERII, à R. P. GERARDO GRUMSEL Societatis nostræ Sacerdote conscriptum & à deputatis ejusdem Societatis Theologis examinatum & approbatum. In quorum fidem has manus mea subscriptas & officiæ mei Sigillo munitas dedi Antwerpiae 19. Aprilis 1666.  
ÆGIDIUS VANDER BEKE.

### CENSURA.

**M**iracula Sancti Patris FRANCISCI XAVERII, quibus Mechliniam Illustravit; Miraculo similis GERARDI GRUMSELII Vena tibi fistuntur, Lector. Arcta Poësis est, quia syllabis alligata; arctior, quia literis; arctissima, quod eidem semper anno congruentibus. In hisce tamen angustiis tam libero, teroque uti stylo Miraculum dicrem, nisi XAVERII id adscriberem beneficio, qui prodigiis suis hoc adderet prodigiis, quod ea prodigiosè evulganda curaret. Concitatigit auctor, vere in hac Palæstra mirabilis, admirationem; admiratio amorem juxta & utilitatem. Ita censeo.

**N**EESEN Canon. Theol. Mechliniensis Librorum Censor.